

II

PRIVILEGIUM FRIDERICI II

1221 maggio, Messina

L'imperatore Federico II prende sotto la sua protezione la città di Grosseto e i vassalli del conte Ildebrandino IX Aldobrandeschi.

Copia autentica risalente al primo semestre 1303, ASS, *Diplomatico, Riformagioni*, 1221 maggio [c. 38].

Edizione: J.L.A. HUILLARD-BRÉHOLLES, *Historia diplomatica Friderici secundi sive constitutiones, privilegia, mandata, instrumenta quae supersunt istius imperatoris et filiorum eius. Accedunt epistolae paparum et documenta varia*, II/I, Parisiis, MDCCCLII, pp. 178-181.

Regesti: A. LISINI, *R. Archivio di Stato di Siena. Inventario delle pergamene conservate nel Diplomatico dall'anno 736 all'anno 1250*, Siena 1908, p. 169; *Regestum Senense. Regesten der Urkunden von Siena*, I. Bis zum Frieden von Poggibonsi, 713 - 30 juni 1235, bearbeitet von F. SCHNEIDER (Regesta chartarum Italiae, VIII), Roma 1911, n. 593, p. 263 (cfr. le indicazioni ivi contenute); G. CIACCI, *Gli Aldobrandeschi nella storia e nella Divina Commedia*, tomo II, Roma 1934, n. CCCV, pp. 108-109.

Hoc est exemplum cuiusdam privilegii serenissimi imperatoris Friderici Romanorum semper augusti Sicilie regis bullati sigillo de cera pendente cum seta vermilie, in quo sigillo ymago erat invictissimi imperatoris sedentis super sede et tenentis virgam in manu destra, in sinistra pallam cum cruce superius, et ipsa ymago talibus erat licteris circumdata posita cruce: Fridericus Dei gratia imperator Romanorum semper augustus, cuius privilegii tenor talis est: IN NOMINE SANCTE ET INDIVIDUE TRINITATIS FRIDERICUS SECUNDUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS ET REX SICILIE. Iustis fidelium postulationibus imperialis clementia benivolum debet assensum impendere et illas favorabili prosequi debet affectu, quos fidei puritas et grata servitia nobis exhibita plurimum recommendant, ea propter notum facimus universis Imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos respicientes ad puram fidem et sinceram devotionem quam dilectus filius noster Oldebrandinus comes palatinus de Tuscia ad nostram excellentiam habuit fideliter et constanter considerantes quoque plecara obsequia que nobis et imperio incessanter exhibit et in antea denotius exhibebit volentes eidem comiti pro meritis respondere civitatem suam Grosseti et universos cives eiusdem cum omnibus bonis suis que nunc possident et in antea possidebunt necnon infrascriptas personas quas propriis nomibus duximus inferius denotandas, videlicet Pannogliam et Manglantem comites cum illis de domo sua, Ugonem de Valcortese et fratres suos, Ugotionem de Saxoforti et fratres eius, Panfolliam de Collis, Berardum de Vignali et Gualfredum fratrem eius, Ranerium de Mendico et Guidonem fratrem eius, Guidonem vicecomitem de Montalto, Montum de Grosseto et filios, Gerardos, Bernardinum de Vinzano, comites Gerardescos filios comitis Ingirami de Biserno, Ugolinum filium vicecomitis de Campilio, Bonefatum comitem de Civitella et illos de domo sua, Gregorium de Sancto Geminiano, Cacciacomitem de Collis et fratres eius, Ranaldum de Collis et illos de domo sua, Pennatum et illos de domo sua, vicedominos de Massa, Manectum de Scolari et fratres eius, Auricum de Aretio et fratres eius et Bernardinum de Malliano fideles nostros et comitis memorati, cum omnibus suis feudis que ipsi a predicto comite possident et recognoscunt et que predecessores eorum a predecessoribus eiusdem comitis possiderunt et tenuerunt necnon et cum aliis omnibus suis bonis stabilibus et mobilibus sub nostra protectione spetiali et defensione imperii suscipimus et eos ac heredes eorum demanio nostro proprio et imperii recipimus perpetuo retinendos, concedentes eisdem suisque heredibus ac imperiali auctoritate ex certa scientia confirmantes omnes terras, possessiones, tenimenta et bona omnia stabilia et mobilia que nunc possident et im posterum dante Domino poterunt dipisci; statuimus igitur et imperiali edicto firmiter sancimus ut de cetero nulla civitas, nullum comunem, nullus comes, vicecomes, nulla umquam persona magna vel parva ecclesiastica vel secularis predictos fideles nostros et comitis pretaxati vel

eorum heredes, civitatem etiam prefatam et cives eiusdem contra huius nostre protectionis et confirmationis paginam audeant molestare vel modo aliquo perturbare, set sub nostra protectione, defensione, demanio nostro et imperii liberi et quieti consistant. Quicumque autem contra hanc nostram protectionem et confirmationem venire presumpserit indignationem nostram se noverit graviter incursum et pro pena centum libras auri optimi compositurum, medietatem quidem camere nostre aliam medietatem iniuriam passis, ut autem hec nostra concessio et confirmatio robur optineat perpetuum et inviolabile firmamentum presens privilegium scribi et sigillo nostre celsitudinis iussimus inferius roborari. Huius rei testes sunt : Gualterius Cataniensis episcopus regni Sicilie cancellarius, Berardus Panormitanus episcopus, Berardus Messanensis archiepiscopus, Niccolaus Tarantinus archiepiscopus, Diupoldus marchio de Hoburg, Ranaldus dux Spoleti, Anselmus de Guisingen marescalcus, Conradus de Verda camerarius, Fredericus de Stophen, Pincerna. **SIGNUM DOMINI FREDERICI INVICTISSIMI ROMANORUM IMPERATORIS SEMPER AUGUSTI ET REGIS SICILIE.** Datum apud Messanam anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo XXI, mense madii, indictione VIII, regnante domino Frederigo Romanorum imperatore glorioso semper augusto et rege Sicilie anno regni eius in Germania VIII, in Sicilia XXIII, Imperii vero eius anno primo feliciter amen. Ego Lotharius auctoritate imperiali notarius de mandato et licentia domini Aczonis Grossetani episcopi ipso suam auctoritatem interponente vidi, legi, absclavavi cum infrascriptis tabellionibus auctenticum privilegium munitum sigillo imperiali prout inferius continentur et exemplavi et scripsi de verbo ad verbum, de puncto ad punctum nicchil addens neque diminuens quod verum mutare possit nec illud studiose et meum signum apposui. Ego Manuellus auctoritate imperiali notarius de mandato et auctoritate domini Aczonis Dei gratia Grossetani episcopi vidi auctenticum privilegium munitum sigillo imperiali cuius intersigna superius continentur et absclavavi diligenter nicchil inventum, additum vel diminutum cum suprascriptis et infrascriptis tabellionibus et meum signum apposui. Ego Petrus auctoritate Imperii notarius de mandato et auctoritate domini Aczonis Dei gratia Grossetani episcopi vidi auctenticum privilegium munitum sigillo imperiali cuius intersigna superius continentur et absclavavi et legi cum suprascriptis et infrascriptis tabellionibus nicchil inveniens additum vel diminutum et meum signum proprium apposui. Ego Andreas quondam Inghilberti imperialis notarius de mandato domini Aczonis Dei gratia episcopi Grossetani auctenticum privilegium vidi, legi et absclavavi munitum imperiali sigillo cuius intersigna superius in principio continentur nicchil additum vel diminutum inveniens prefati venerabilis episcopi auctoritate prestata meumque signum apposui et subscrispsi manu propria simul cum tabellionibus prenotatis. Acta sunt hec et auctenticata prout supra legitur Ischie in palatio domini episcopi Grossetani sub annis Domini millesimo ducentesimo quadragesimo, indictione XIII, sexto kalendas septembbris regnante domino¹ Friderico Romanorum imperatore semper augusto.

(SN) Ego Ranerius apostolica et imperiali auctoritate notarius quondam Accursi notarii que supra continentur vidi et legi in quodam exemplo sive sumpto extracto ut continebatur in ipso ex quodam privilegio domini Frederici Romanorum imperatoris per Lotharium et Manuellum et Petrum et Andream quondam Inghilberti notarios et ea ex ipso exemplo sive sumpto sumpsi et in hac presenti pagina preter signa dictorum notariorum fideliter exemplavi et scripsi et una cum ser Ranerio Bencivenni notario hoc sumptum cum dictum exemplo diligenter legi et absclavavi et de auctoritate, licentia et mandato domini Corradi de Ancona honorabilis potestatis Senarum mihi facto Senis in palatio communis Senarum coram domino Bandino iudice olim domini Uguiccioni, ser Mino Orlandi, Pietro Iacobi, Feduccio Martini et Bino Alisandri testibus presentibus huic insinuationi auctoritatem suam prestantis in publicam formam redigi et meum signo apposui.

¹ Domino in fondo al rigo con richiamo.